

unde habet duplicem respectum ad Deum et ad creaturam: cum hac quidem differentia; quod actio ista, qua creaturae est, indiget respectu ad Deum ad opus suum perficiendum; actio vero, qua Dei est, non indiget respectu ad creaturam: assimilatur ergo, ex hac parte, causa secunda instrumentalibus causis. Hinc acutissimus Doctor similitudine causarum instrumentalium, voluit dependentiam istam indicare: verum quia motionem et concursum *realiter* distinctum dependentia ejusmodi minime refert; tum in Summa theologica, tum in Summa *contra gentes*, cooperationem hanc praetermisit, etiamsi eandem omnino utrobique evolveret quaestionem.

THESIS XIII.

Quatenus causae secundae constitui debent, per motionem causae primae, in eo complexu circumstantiarum, quibus inveniantur in actu primo proximo ad causandum; hoc modo necessaria existit praevia motio et applicatio causae secundae ad agendum per virtutem causae primae: quatenus vero haec applicatio fertur ad causam secundam in actu primo proximo constitutam, ita ut solam ejus intendat actionem, non distinguitur realiter ab actuali concursu, et ratione tantum ab actione causae secundae discriminatur.

Haec est genuina D. Thomae doctrina, qua concessa, patet, cur in Summa Theol. et in Summa *contr. Gent.* illius non meminerit motionis, quam in q. 3. *de Potentia* explicuerat.

127. 1.^a Pars clara elucet; et sufficet ipsa exempla, quibus exponit D. Thomas suam mentem de applicatione causae secundae ad agendum, exhibere.

a) Primum exemplum sit illud frequentissime adhibitum: «Sicut »artifex applicat securim, quae incidit per suum acumen» (1). Jam vero, quid prestatur securi per manum artificis? motus, impulsus, vi cujus, sive maneat in manu artificis, sive effugiat, ut accidit aliquando, si impingat in aliud corpus, motum in ejus efficit partibus, et scinduntur. Atqui motus ille et impulsus securis spectat ad actum primum, ita ut, compleat ipsam virtutem motivam securis, non vero efficit aliquam actui primo proximo superadjectam motionem: ergo ipsa causarum secundarum in actu primo constitutio est quaedam motio et applicatio ad agendum.

(1) 1. p. q. 105, a. 5.

b) «Artifex applicans virtutem rei naturalis ad aliquam actionem, dicitur esse causa illius actionis; sicut cocus decoctionis, »quae est per ignem» (1). En aliud exemplum, quo explicat Divus Thomas applicationem causarum secundarum a causa prima ad agendum. Ignis autem nullum accipit influxum, nullam actionem coqui, qua virtus calefaciendi immutetur, sed simplicem motum localem ut approximetur cibo coquendo: unde perinde est quod coquus applicet ignem cibo, vel cibum igni, ut effectus decoctionis compleatur.

128. c) Generatim, ecce quo pacto perficiatur applicatio causarum secundarum ad agendum. «Applicantur virtutes operativae ad »propriis operationes per aliquem motum vel corporis vel animae; »primum autem principium utriusque motus est Deus: est enim »primum movens omnino immobile.» (ibid.) Non ergo opus est ut a Deo solo descendat motio aliqua praevia, cujus influxu inde causa secunda operetur: sufficit quod motus quivis vel animae vel corporis sit a Deo tamquam a primo principio (non dicit *unico*), ut inde intelligatur virtutes operativas applicari a Deo ad suas operationes. Atqui quivis motus (animae vel corporis) ad quem Deus simultanee concurrat, sane est a Deo tamquam a primo principio; «est enim »primum movens omnino immobile:» ergo quatenus causae secundae constituuntur in iis circumstantiis, quae ad actum primum proximum requiruntur, existit praevia motio et applicatio illarum per causam primam.

129. d) Quoad motum autem voluntatis, etiam praemotio aliqua praecedit divina. «Dicendum, ait D. Thomas, quod Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale »objectum voluntatis, quod est bonum; et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparet bonum (2). Patet ergo duplicem praecedere motionem primae causae in voluntatis actus: prima ad bonum universale, ad quod fertur necessario; secunda per actum rationis, ad quem Deus concurrat, et sine quo determinari nequit voluntas: at utraque ad actum primum pertinet.

130. II.^a Pars. prob. Actioni, cum sit effectio, seu formalis dependentia, debet terminus aliquis assignari: actio igitur Dei, quae supponitur terminari in causam secundam jam in actu primo proximo constitutam, debet aliquid efficere. Non efficit, sane, quidquam ad causam ipsam spectans; supponitur enim in actu primo proximo constituta. Neque efficit actionem ipsam causae secundae;

(1) *Contr. Gent.* 1. 3, c. 67. — (2) *Summ.* 1, 2, q. a. 6, ad 3.

quia haec per se ipsam et intrinsece a Deo pendet; praeterquam quod jam motio illa non esset causae motio sed effectus: ergo talis motio non realiter, sed sola ratione, ab actuali concursu distinguitur. Scilicet, cum actualis consideratur concursus, duplex dicitur et cogitatur respectus ad duplicem causam increatam et creatam, primam et secundam: cum vero cogitatur actio primae causae secundam movens et applicans, solus unus dicitur respectus, primarius nempe et generalis omnium actionum ad primam causam.

Confirm. Quia Deus ad omnes actiones et motus concurrat, quibus ad agendum in actu primo causae creatae constituuntur, jure dicitur, quod eas ad agendum movet et applicat: ut dictum est in parte I.^a theos: ergo, a fortiori, vere dici potest, quod easdem movet, quia ad actum ipsum secundum concurrat. Vide D. Thom. 1, p. q. 105, a. 5, ad 2.^m

131. Ex his intelligi potest, cur in Summa Theol. et in Summa Contr. Gent. praetermiserit S. Doctor illam Dei efficientiam, cujus in Q. 3 de Potent. meminerat. Nempe, quia concursus actualis et applicatio immediata causae secundae non sunt duae efficientiae re distinctae, sed ratione. Non existimavit ergo S. D. esse necessarium, eas se junctim exponere, licet alibi id praestitisset. Si autem plusquam ratione distinguerentur, ut volunt thomistae, necessum quidem fuisset nullam operandi rationem praetermittere.

ARTICULUS II.

De Providentia supernaturali.

THESIS XIV.

Deus habet Providentiam supernaturalem erga omnes homines, seu voluntatem antecedentem veram ac sinceram salvandi omnes homines.

132. Nota 1.^o Cum praeter finem naturalem, habuerit Deus aliam supernaturalem, ad quem per gratiam creaturas ordinavit, quaeritur; utrum ejusmodi Providentia supernaturalis omnes attingat homines. Plures extiterunt haeretici in hac errantes doctrina; ut *Praedestinatiani*, qui solum Electorum Deum voluisse salutem dicebant. Hos secuti sunt Calviniani; deinde Jansenistae.

2.^o Quatenus non solos electos voluerit Deus salvare, de fide tenendum est, contra Praedestinatianos in pluribus damnatos Conciliis, praesertim in Carisiaco et Valentino. Omnes autem homines velle Deum salvare, saltem est doctrina catholica certa et proxima fidei, imo verius de fide.

133. Prob. 1.^o Ex Trid. (1) docente «quod pro omnibus mortuus est Christus,» ut in tract. De *Deo Incarnato* fusius ostenditur. Sed Christus ideo mortuus est ut vitam haberemus aeternam: ergo vult omnium salutem.

2.^o Omnibus hominibus confert Deus gratias sufficientes ad salutem; quod ex tract. de *Gratia* supponitur. Sed ideo nobis dat gratiam, quia vult ut ejusdem assequamur fructum, uti nos per Apostolum adhortatur (2): ergo omnes salvare intendit.

3.^o Testatur explicite Apost. (3): *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, etc.* Quae adeo clara sunt, ut nullo opus sit commentario.

134. 4.^o Omnes homines dicere debent: «Credo in Jesum Christum... qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis...»

5.^o Illa Apostoli verba exponens Augustinus ait: «Non sic tamen (vult omnes salvos fieri), ut eis adimat liberum arbitrium, quo bene vel male utentes justissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus non credunt Evangelio, non ideo tamen eam vincunt; verum se ipsos fraudant magno et summo bono.»

Hieronymus, in Ephesios (4) «Vult salvare omnes, et in agnitionem veritatis venire: sed quia nullus absque propria voluntate salvatur (liberi enim arbitrii sumus), vult nos bonum velle, ut cum voluerimus, velit in nobis et ipse suum implere consilium.»

135. Objic. 1.^o Testatur Apost. fuisse Esau reprobatum antequam quidquam mali fecisset (5): *cujus enim vult miseretur Deus, quem vult indurat.*

Resp. Explico: reprobatum Esau a vita aeterna; nego. Ab hereditate paterna; conc. Item, *quem vult indurat*, id est, non educit efficaciter à sua culpabili duritie; conc. Habet voluntatem beneplaciti, seu plusquam permissivam, in ea duritie; nego. Nam ait Apostolus quod Deus ejusmodi sustinet in *multa patientia*. (ibid.)

Inst. Ait Ap. quod assequi salutem non est *volentis* neque *currentis*, sed *miserentis* Dei.

Resp. His docet Apostolus ex gratia Dei salvari homines; conc. Ex defectu divinae misericordiae aliquos, etiamsi sincere velint, non salvari; nego.

(1) Sess. VI, c. 2, 3.— (2) II Cor. VI, 1, 2...— (3) I Tim. II, 4-6.— (4) C. I. v. 11.— (5) Rom. IX, 18.

136. Objic. 2.^o Aliqui PP. ut Augustinus ajunt, illa verba Ap. *Vult omnes homines salvos fieri*, non intelligi de singulis.

Resp. In sensu Pelagianorum, quatenus conditionata haec voluntas dependeat a meritis *naturalibus* singulorum; conc. Quatenus ea voluntas respiciat rectum usum divinorum auxiliorum; subdist. Non intelligi de singulis, quatenus voluntas salvandi est consequens et absoluta; conc. Quatenus est antecedens et conditionata; nego.

Objic. 3.^o Baptismus est necessarius ad salutem. Sed saepe nequeunt infantes ad baptismum pervenire: ergo saltem omnium infantium noluit Deus salutem, ut deducit ipse Augustinus (1).

Resp. Dist. *min.* Nequeunt pervenire, praecise ex sola divina voluntate; nego. Quia ii, ad quos quomodolibet commissum erat infantium providere salutem, non cooperantur, ut oportet, ad obstacula praevenienda; conc.

Inst. Ait Augustinus (ibid.), «Deo nolente» ad baptismum infantes saepe non pervenire. Resp. Quatenus non habuit voluntatem efficacem ut baptizarentur; conc. Quatenus non habuerit etiam antecedentem; nego.

THESIS XV.

Deus ab aeterno aliquos elegit voluntate efficaci ad vitam aeternam et ad media certa illam assequendi, seu aliquos praedestinavit.

137. Nota I.^o Aliqui AA. putant praedestinationem proprie significare actum seu actus, quibus Deo ab aeterno praeparavit illas gratias, quibus certo aliqui salvantur, secundum Augustinum (2): «Praedestinatio est praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.» Alii autem censent esse electionem praecise ad gloriam. Denique non pauci AA. dicunt, praedestinationem utrumque comprehendere: ita D. Th. «Praedestinatio est ratio transmissionis creaturae rationalis in vitam aeternam;» (3) nam auxilia, seu media, significantur, cum dicitur *ratio transmissionis*. Ita pariter Scotus (4): «Praedestinatio est electio creaturae intellectualis ad gratiam et gloriam.»

II.^o Patet tres actus constituere praedestinationem: cognitionem gloriae et mediorum: praescientiam conditionatam efficaciae talium mediorum: voluntatem seu propositum talia media cum gloria conferendi. An vero utrumque directe voluerit Deus; vel prius gloriam, aut, è contra, gratias et merita; nunc non inquirimus.

(1) De dono persever. c. 12. — (2) Ibid. c. 14. — (3) I. p. q. 24, a. 1. — (4) I. dist. 40, q. 1.

138. Prob. 1.^o Apostolus (1): *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinavit hos et vocavit... justificavit... et glorificavit.* Et dicit Dominus iis qui salvi fient (2): *Venite benedicti Patris mei; possidete regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi.* Item (3): *Crediderunt quotquot erant praedesignati ad vitam aeternam.*

2.^o Concil. Carisiacum, cap. 1: «Deus bonus et justus »elegit ex eadem massa perditionis, secundum praescientiam suam, »quos per gratiam praedestinavit ad vitam, et vitam illis praedestinavit aeternam... Unam Dei praedestinationem dicimus, quae aut »ad donum pertinet gratiae aut ad retributionem justitiae.» Item PP. conc. Valent. can. 3.

Trident. (4): «Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate »vit, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuatur, se omnino esse in numero praedestinatorum; quasi verum esset, quod justificatus amplius peccare »non possit; aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat: nam nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quos »Deus sibi elegerit.»

139. 3.^o Augustin. (5): «Nimiae contentionis est praedestinationi contradicere, vel de praedestinatione dubitare.»

Fulgentius (6): «Praedestinationis veritatem, qua nos ante »mundi constitutionem praedestinos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat recipere,... manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit et praedestinavit ad regnum.

4.^o Deus habet in tempore voluntatem efficacem justis conferendi gratiam et merita, nec non iis, qui in gratia decedunt, vitam aeternam: sed quidquid Deus vult ab aeterno voluit; ergo aliquos ab aeterno praedestinavit.

140. Objic. 1.^o Vocatio, justificatio ac glorificatio sunt in tempore; sed tunc fiunt cum earum ponitur immediata causa, nempe, efficax Dei voluntas; ergo haec non extitit ab aeterno, sed in tempore.

Resp. Dist. *min.* Cum ponitur causa formaliter efficiens; conc. *min.* Remote, seu imperando influens; nego. Etenim efficax Dei voluntas *imperando* causat ideoque est actus immanens et aeternus: vocatio autem, glorificatio, etc. sunt actus transeuntes, formaliter

(1) Rom. VIII, 28-30. — (2) Matth. XXV, 34. — (3) Act. XIII, 48. — (4) Sess. VI, c. 12. — (5) De dono Persever. c. 21. — (6) Epist. 17, c. ultimo.

a divina potentia fluentes in iis circumstantiis, quas definiuit liberum Dei decretum. Unde ait D. Th. (1): «Potentia non ponitur in Deo ut aliquid differens a scientia et voluntate secundum rem, sed solum secundum rationem, in quantum scilicet, potentia im- portat rationem principii exequentis id quod voluntas imperat, et ad quod scientia dirigit.» Idem docet alibi (2), ubi ait: «Potentia intelligitur ut exequens, voluntas ut imperans, et intellectus et sapientia ut dirigens... Ipsum *facere* subjacet praescientiae et praordinationi, non autem ipsum *posse* quod est naturale. Ideo enim Deus aliquid facit, quia vult; non tamen ideo potest quia vult, sed quia talis est in sui natura.» Neque dicas, illud *quia vult*, indicare causalitatem intrinsecam, seu formalem. Plane enim desideres. Indicat namque causalitatem moralem, seu extrinsecam: «Potentia intelligitur ut exequens, voluntas ut imperans... Ipsum *facere* subjacet praordinationi.»

Inst. Ipsa divina potentia ab aeterno est formaliter efficiens: sed posita causa formaliter efficiendi, et effectus poni debet; ergo nequeunt in tempore illi actus transeuntes evenire, sed solum ab aeterno.

Resp. Dist. *maj.* Quoad ea omnia, quae ad actum primum, seu potentiae perfectionem pertinent; conc. *maj.* Quoad actum secundum; nego *maj.* Ut enim infra dicetur, actio non recipitur in agente, sed in effectu, (Cap. IV).

141. Objic. 2.º Praedestinatio non est absolute necessaria ad effectum salutis assequendae; alias ii, qui praedestinati non fuerunt, non possent salvari. Ergo licebit, cum Ambros. Catharino sentire, multos regni caelorum fieri participes, qui non sunt praedestinati.

Resp. Dist. *ant.* Quatenus praedestinatio supponit voluntatem ab intrinseco efficacem et antecedentem vel gloriae, vel meritorum ad gloriam, non est necessaria... Conc. *ant.* Praedestinatio, sumpta pro voluntate ab extrinseco certa et efficaci, scil. propter praelucentem scientiam mediam, tum gloriae, tum meritorum; vel sumpta pro voluntate consequente dandi gloriam; non est absolute necessaria: nego *ant.* Deinde concedo vel nego *consequentiam*, ad sensum distinctionis.

Nota: nihil impedit salutem eorum, qui non sunt praedestinati: nam tum scientia media, tum voluntas consequens et efficax dandi gloriam, non praeveniunt, sed supponunt aliquo modo usum libertatis. Quod ut intelligas, recolenda quae supra tradita fuere (3).

(1) P. I, q. 25, a. 1 ad 4.—(2) Ibid. a. 5, ad 1.—(3) Num. 192, 200.

THESIS XVI.

Praedestinatio est in se ipsa immutabilis ac certa; non tamen quoad nos.

142. I.ª Pars prob. 1.º Evidenter id praesupponit Tridentinum Conc. ut dictum est (Thes. praec.) Si quis enim de numero fuit praedestinatorum, vel non peccabit, vel resipiscet. Concil. autem Valentin. can. 3, ait: «De hac immobilitate praescientiae et praedestinationis Dei, per quam apud eum futura jam facta sunt, etiam apud Ecclesiasten bene intelligitur dictum: *cognovi, quod omnia opera, quae fecit Deus, perseverent in perpetuum.*»

2.º Ait Joannes (1): *Ex nobis prodierunt: sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.*

Et Paulus (2): *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus, qui sunt ejus.*

143. 3.º Augustinus, de praedestinis agens, ait (3): «Horum si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.» S. autem Fulgentius (4): «Quaecumque Deus praescivit, jam facta dicimus, quia de faciendis dubitare non possumus.» Sanctus Prosper, in *respons. ad object. 12* Vincent. ait: «Praedestinatio etsi apud nos, dum in praesentis vitae periculis versamur, incerta est; apud illum tamen qui fecit quae futura sunt, immutabilis permanet.»

144. 4.º Illa Dei voluntas, qua electi ultimo Dei judicio ad vitam destinantur aeternam, est immutabilis et certa. Atqui ab aeterno illam Deus habuit voluntatem, quae proinde ad divinam spectabat praedestinationem; ergo praedestinatio est immutabilis.

Confirm. Praedestinatio est immutabilis et certa, si ordinatio aeterna ad finem, quoad eos qui salvantur, est ejusmodi. Atqui est revera immutabilis et certa illa ordinatio aeterna ad finem eorum qui salvantur: ergo *Min.* patet. Nam certissime sciebat Deus futura efficacia eorum, qui salvantur, media salutis (5).

145. Objic. 1.º Ait S. Joann.; (6): *Si quis diminuerit de verbis libri prophetiae hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitae.* Sed libri vitae nomina sunt praedestinatorum: ergo praedestinatio mutari potest. Resp. Dist. *min.* Liber vitae, quae est gratiae finalis et consummatae, est praedestinatorum; conc. Quae est gratiae tantum, seu temporalis; nego *min.*

(1) I Jo. II, 19.—(2) II Tim. II, 19.—(3) *De Correp. et grat. c. 7.*—(4) L. I, ad Monim. c. 12.—(5) Dis. IV, n. 174, thes. XXX.—(6) Apoc. XXII, 19.

Inst. 1.^o Ait Paulus (1): *optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis*: sed sciebat Paulus se esse praedestinatum (2): ergo putabat posse mutari praedestinationem.

Resp. explico verba Pauli: optabat esse *anathema* a Christo, dum eum persequebatur; conc. Postquam in Christum credidit; nego.

Inst. 1.^o Paulus timebat ne reprobus evaderet: ergo. Resp. Timebat ignorans an esset praedestinatus; conc. Postquam id novit: nego.

Objic. 2.^o «Si non es praedestinatus, fac ut praedestineris.» juxta Augustini adhortationem: ergo incerta est praedestinatio. Resp. Dist. *conseq.* Incerta est quoad nos; conc. Quoad se; subd. Antecedenter; permitto: consequenter ad divinam praevisionem: nego.

146. II.^a Pars. prob. 1.^o Ex Trident. ut patet ex Thes. XV.

2.^o Apost. (3): *Qui se existimat stare videat ne cadat*. Et iterum (4): *Cum metu et tremore salutem vestram operamini*. Vide quoque Ecclesiast. c. IX, v. 1.

3.^o Hieronymus (5): «Omnes fluctuanti vestigio in isto seculo commoramur, et numquam est certa, securaque victoria. Imo et Paulus sibi timebat, ne reprobus efficeretur» (6). Vide et S. Prosperum in 1.^a parte.

147. Objic. 1.^o Ait Joan. (7): *Vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine filii Dei*. Sed certi sumus nos credere: ergo scimus non esse praedestinos.

Resp. *Maj.* explico: si fidei, quae est radix salutis, opera congruant usque ad finem; conc. Aliter, nego.

Inst. *Petite, et accipietis* (8). Sed certus quisque esse potest, quod petierit vitam aeternam: ergo et de praedestinatione. Resp. Dist. *min.* Quod petierit quomodolibet, certus quivis esse potest; conc. *min.* Quod autem postulaverit *sicut oportet*; nego. Vide Apostolum, ad Rom. VIII, v. 26.

148. *Nota*: de numero absoluto praedestinatorum, inquirunt plures AA. utrum superet reproborum multitudinem. De qua re, cum Dominus interrogatus fuisset, nihil aliud ei respondere placuit, nisi ostendere viam, qua quis salvus tandem evadat (9): *Domine, si pauci sunt qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos: contendite intrare per angustam portam; quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt*. Qui ergo intrabunt in regnum coelorum? *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem*

(1) Rom. IX, 3.—(2) Tim. IV, 8.—(3) I Cor. X, 12.—(4) Philip. II, 12.—(5) In Ezech. XXVI, v. 15.—(6) I Cor. IX, 27.—(7) I Jo. V, 13.—(8) Jo. XVI, 24.—(9) Luc. XIII, 23, 24.

mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum (1).

SCHOLIA.

De Praedestinatione.

§ I.

Axiomata

149. Ne in hoc praedestinationis mysterio, inanibus quis turbetur, vel alios conturbet, fallaciis, sequentia capita prae oculis semper habenda.

I. Fide est certum, in hominis potestate positum esse acquirere vel amittere salutem. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (2). *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam* (3). *Ne cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar* (4).

II. Item fide constat, non conferri gloriam adultis, nisi ex eorum meritis. *Non coronatur nisi qui legitime certaverit* (5). *Reddidit justis mercedem laborum suorum* (6). *Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua* (7). *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (8).

III. Fides docet, Deum justissimum esse. *Numquid iniquitas apud Deum* (9)? Vide supra, Disq. IV, n. 55.

IV. Pro certo habendum, tamquam doctrina catholica et proxima fidei, Deum vere et sincere omnium hominum velle salutem, ut dictum est, Thes. XIV.

§ II.

Systemata de Praedestinatione.

150. Triplici modo solet, generatim, a Theologis concipi et explicari divina Praedestinatio.

I. Communis inter thomistas sententia, quam defendit, uti certam et doctrinam fidei, Bellarminus, ut probabiliorum autem Suarezius, haec est: ajunt, Deum prius intendisse efficaciter et directe salutem aeternam electorum: quod decretum putant aliqui

(1) Matth. VII, 19-21. — (2) Ibid. XIX, 17. — (3) Apoc. III, 11. — (4) I Cor. IX, 27.— (5) II Tim. II, 5.— (6) Sap. X, 17.— (7) Apoc. XXII, 12.— (8) Matth. XI, 12.— (9) Rom. IX, 14.

a Deo habitum antecedenter ad praevisionem peccati originis, alii vero consequenter; ita ut ex massa perditionis elegerit Deus efficaciter praedestinos. Deinde propter eam electorum salutem assequendam, elegit Deus ac decrevit gratias efficaces praedestinos conferendas; et tandem decrevit executionem eorum, quae efficaciter intenderat.

151. II. Alii autem cum Vazquezio, Lessio, Sancto Fr. Salesio, aliisque plurimis AA., oppositam tenent opinionem, quam probabilem esse censet D. Eximius. Scilicet, Deus primum directe statuit omnibus gratias sufficientes vel efficaces conferre ad vitam assequendam vel demerendam aeternam: deinde, meritis eorum praevisis cum perseverantia usque in finem, statuit beatitudinem iis conferre, ceteros vero damnare. Decretum vere illud collativum gratiarum et meritorum, non eodem explicant modo hi AA. Nam non pauci putant iis, qui salvantur, praeparatas fuisse gratias cum speciali praedilectione; scilicet, per decretum ab *intrinseco* connexum cum earum efficacia, ut de facto mererentur et perseverarent in gratia: dicunt enim, quod nisi Deus praevidisset efficacia futura illa auxilia, alia vere efficacia contulisset, propter illam specialem ergo eosdem praedilectionem. Alii autem existimant aequali affectu contulisse Deum omnibus hominibus gratias sufficientes.

152. III. Tertia est sententia, qua plures AA. cum P. Molinae gratiae pariter et libertatis praeclaro et acutissimo defensore, censent: Deum unico decreto, adeoque absque aliqua prioritare rationis finis et mediorum, seu beatitudinis et meritorum, quoad divina decreta, directe et efficaciter decrevisse totum praesentem rerum ordinem; quaedam quidem cum voluntate beneplaciti, quaedam vero voluntate pure permissiva.

Quoad mentem D. Thomae, quaelibet praedictarum sententiarum pro se eum laudat: earum consulas auctores.

§ III.

De horum systematum probabilitate.

153. Probabilitas praedictarum sententiarum, sine temeritate, haud facile negabitur, cum plurimos, gravissimosque DD. pro se unaquaeque sibi vindicet. Tamen praecipuas difficultates illis adversantes innuere oportet; quarum vim ut aliquatenus emolliamus, duo nobis concedenda petimus.

1.° Ante ullam Dei liberam volitionem, perfectissime illi praesens, notusque erat hic rerum ordo, prout ab initio decurrit seculorum usque ad finem. Nam quum scientia Dei, tum naturalis, tum

media, sit infinita; nihil illum latere poterat nec de praesenti hoc ordine, neque de quolibet alio possibili.

2.° Considerans posse omnes homines, si velint, salutem assequi in hoc praesenti ordine, liberam Deus concepit et conditionatam complacentiam in omnium hominum salute, per talem ordinem assequibili: eorum autem salutis, qui eam *re ipsa* in praesenti ordine assequuntur, majorem habuit complacentiam et veluti gaudium, cum perfectius in illis effectum habeat divinae bonitatis communicatio.

§ IV.

Quid sententiae Molinae obstet.

154. His praesuppositis ac praelucentibus, adversus P. Molinae et aliorum, quam descripsimus, sententiam, duplicem alii AA. urgent difficultatem. Prima; quod nulla erga electos Dei praedilectio effulgeat: nam vi hujus praesentis et unici decreti, praedestinos evasisset reprobis, vel è contra, si aliter utrique libero uti arbitrio placuisset. Secunda; quod ex Scriptura et SS. Patribus aliquis proponatur ordo in divina voluntate, quatenus vel vult gloriam propter merita, ut passim significari videtur; vel merita propter gloriam, ut AA. alii contendunt.

Ad 1.^m autem difficultatem potest responderi: ad totum hunc ordinem unico decreto decernendum moveri divinam voluntatem, ex illa tum communi, tum *speciali* complacentia, de qua in Schol. III. (n. 153) dictum est. Praeterea adjici potest; illud unicum Dei decretum complecti erga electos voluntatem efficacem gloriae, quod sane magna est praedilectio.

Ad 2.^m objectionem dici potest: dari quidem ordinem, non in ipsa voluntate Dei, sed in ejus objecto, Nam licet Deus nec velit gloriam propter merita, ut cum Vazquezio multi contendunt; nec merita propter gloriam, ut putant alii cum Bellarmino, tamen non vult Deus gloriam sine meritis, et vult merita ordinari ad gloriam. Aliud enim est velle rem ordinatam; aliud autem velle cum aliquo ordine in ipsa voluntate concepto: primus ordo est objectivus, alter subjectivus. Jam vero ad perfectionem actus volendi sufficit, ut ipsius objectum sit bonum et ordinatum: quo supposito, potest in uno et eodem simplici signo appeti et decerni. Quod quidem in Praedestinationis negotio potuit maxime locum habere. Nam Deus elegit et praedestinavit nos in Christo, propter Christum, ut simus membra Christi, imago Christi, gloria et regnum Christi. Atqui formaliter id non exurgit ex gloria tantum; aut ex meritis et gratia solum: sed ex re tota simul. Ita ait Apostolus, quod eos